J. J.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

ATROPHIA

Qvam

Divino Annuente Numine

ex

DECRETO atq; CONSENSU

GRATIOSISSIMI

ORDINIS MACHAONII

ALTDORFFINI

PRO LICENTIA

Summos in MEDICINA HONORES

atq; PRIVILEGIA DOCTORALIA

acqvirendi

Publico Philiatrorum Examini

submittet

Ipsis Calendis Decembr. A. E. C. *MDCLXXXIV.*

ALBERTUS ANTHONIUS Höffing/

Rudolst. Thuring.

ALTDORFFI,

Literis HENRICI MEYERI, Universit. Typographi.



I. N. S. S. T. A.

PROOEMIUM.

NUllam esse partium, quæ nutritione non indigeat, & proinde alimentum expetat, quisq; videt, & Tyresiâ cæcior, quisq; sentit, & Glauco stupidior. Hinc ipse Princeps Philosophiæ Aristoteles Lib. I. de generatione & corruptione cap. 5. *verè jamdudum scripsit:* τρέφεται (ζῶον) ἕως ἂν σώζηται. Nutritur *(animal)* quamdiu vivit. τροφὴν γὰρ μὴ λαμβάνοντα καὶ τὰ φυτὰ καὶ τὰ ζῶα φθείρεται, ubi enim alimentum non recipiunt tam animalia, quam plantæ, interire solent, *eodem teste* Lib. de longit. & brevit. vitæ cap. 5. *siquidem juxta* Lucretium

Omnia debet - - cibus integrare novando.

Hinc non aliud mehercle futurum esset corpus humanum nutritione destitutum, quàm vi-

vum quasi Sceleton, ubi tabida cutis vix ossa obtegit, & postquam

Exaruére testæ ad instar coctilis
defecta membra viribus,
Rigens adhæret lingua siccis faucibus.

Quamdiu igitur vitali luminis aurâ fruitur homo, nutritione indiget, & sanus merito dici debet, qui bene ingerit, digerit, atq; egerit, ut eapropter quisque si contraria sibi evenire sentiat, vel morbum, vel mortem ipsam in propinquo esse, observare poterit. Atrophiam ergò pessimum hominis hostem dicere licebit, quæ, nutritione deperditâ, multiplices ei insidias struit, donec Charonti naulum persolvere cogat. Jam verò debellando isti hosti ingenii vires opponere lubet, postquam ex Decreto atq; Consensu GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ ALTDORFFINÆ *mihi licentia concessa est, ipsum in Disputatione præsente inaugurali ad publicum producendi certamen. Faxit Supremus rerum omnium Arbiter, ut hoc meum propositum mihi vertat feliciter!*



THESIS I.

GAlenus alter Medicinæ Princeps, & judice Dempstero, Medicorum ex primo primus, scitè non minùs quàm verè *II. M. M. 2.* docuit, nomen esse notam rei, & per ejus cognitionem in hujus scientiam nos provehi.

TH. II.

Tanti ergò Doctoris doctrinam secuturus ego, inpræsentiarum primum affectûs præfixi nomen proferam, quod origine quidem Græcum, à Medicis tamen in latinam civitatem receptum, ab *α* privativo *Non,* & *τρέφω nutrio*, derivari, sicque nutritionis nullitatem designare, in propatulo est. Atrophiâ quippe correpti nullâ fere gaudent nutritione, sed partes eorum ac corpora indies absumuntur, & adeo extenuantur, ut præter ossa ac cutem parum carnis & pinguedinis remaneat. Aliàs morbosa hæc afflictio Macilentia, macor, macies morbosa dicitur; *Paracelso* aridura; *Celso lib. 3. cap. 22.* Tabes; aliis Tabes dorsalis, febris hectica, & quandoque phthisis nuncupatur; quæ posteriora nomina licet specialiorem habeant, propriè & strictè sumta, significationem, generatim tamen sub atrophiæ titulo comprehendi possunt; pariter uti *Hippocrati Lib. I. Epidem.* φθινώδεις dicuntur, absque particulari pulmonis vitio consumti, Germ. das Abnehmen am Leibe/ die Derre/ das Schwinden nominatur.

TH. III.

Detracto nominis involucro, ut propiùs pateat atrophiæ essentia, eam definiemus: quòd sit totius corporis defectio, extenuatio, ac exsiccatio, ob deficientem vel sublatam succi nutricii assimilationem introducta.

 TH. IV.

TH. IV.

Generis loco posuimus defectionem, seu extenuationem, ac exsiccationem corporis, ejusdemque partium, tanquam symptoma primarium, actionem sc. læsam imminutam vel abolitam nutritionis, id quod ipse aspectus manifeste satis comprobat. Atrophia enim laborantes adeo extenuantur & concidunt, ut, omni ferme absumtâ carne, nil nisi cutis ac ossa conspiciantur.

TH. V.

Subjectum hujus morbi diximus esse universum corpus, ratione præcipue partium mollium, pinguedinis & carnis. Partes equidem solidæ, dum pariter ac molles ex alimentis capiunt incrementum, huic morbo quoque obnoxiæ sunt, exsiccantur enim, sicque auctione ulteriori privantur, non tamen ita imminui possunt, ut decrementum sensibus tam manifestum fiat. Quare in latitudine sive crassitie saltem decrescit & absumitur corpus, longitudine illius nihilominus manente integra, quæ, decrescente crassitie, quasi aucta esse videtur. Partes siquidem carnosæ, cùm ulteriori, ut sustententur, nutrimento opus continuò habeant, faciliùs, si hoc defecerit, propter mollitiem absumi possunt; duriores verò, ut ossa, cartilagines, minimè vel non apparenter decrescunt, dum ob duritiem stabiles ac firmæ manent, nec uti partes carnosæ, similesque molles aut fluidæ, tam largo egent nutrimento, sed pauco sunt contentæ.

TH. VI.

Interea probabile videtur, non solùm in atrophiâ partes corporis molles & sano sensu solidas affici, sed & ipsos quoque spiritus tam vitales, quàm animales hinc detrimentum perpeti. Hi enim dum propter alimenti de-

defectum vix inveniunt, quod in pabulum suum convertant, fiunt languidiores, ac torpidi, adque actiones exercendas minus idonei, id quod ex decumbentium imbecillitate perspicue satis elucet.

TH. VII.

Ad Causas nunc progredimur, & primò quidem immediatam sive proximam, quam statuimus esse deficientem succi nutricii assimilationem, quæ frustratam nutritionem comitem habet individuum, pessimis hinc hominis existentibus rebus. Quemadmodum enim nutritio ad esse hominis, sicq;ad individui conservationem spectat, ceu eleganter *Xenophon lib.2. memorab.* dicit: Ἡ τροφή ἐστιν ἀρχή, οὐδὲ γὰρ ζῴη γ' ἄν τις μὴ τρέφοιτο. *Nutrimentum est principium, neque enim quis vixerit; si non nutriatur:* Sic deperdita hac ipsâ corpus emaciatum ac contabescens tandem evadit cadaverosum.

TH. IIX.

Interea deficit chyli vel succi nutricii assimilatio: I. quando is redditur corpori ejusque partibus his vel illis resarciendis ineptus, dum à dulci sua subpingui & balsamicâ naturâ alienatus, in salsam, lixivialem, muriaticam, acidam &c. degenerat. Utile enim ac corpori amicum illud censemus esse nutrimentum, quod omni qualitatis heterogeneæ expers est, adeoque blandum, mite, substantiâ γλισχρὸν seu lentescens, apponi aptum, omnibus partibus æque commune, quodque in universo corpore partibus omnibus accedere possit, ceu *Excell. D. D. Wedelius in Physiol. p. 97.* egregie disserit. II. Quando chylus, vel succus nutricius non in debita quantitate producitur, dum scil. justa ciborum assumendorum copia non recte observatur, ceu in ἀνορεξίᾳ, ciborumque fastidio &c. accidit, sic etiam ex inedia corpus contabescit.

ſcit. III. Quando alimenta, etiamſi aſſumantur in juſta quantitate, planè tamen cruda aut nimis coƈta è ventriculo transmittuntur, ut hinc propter nimiam cruditatem aut lentorem chyli meatus obſtruantur, ac denegato conſequenter nutrimenti tranſitu neceſſariò membra neƈtare ſuo rorido priventur; ſicque adipoſæ, carnoſæ, dein tendinoſæ, ligamentoſæ & membranoſæ partes alimentari deſtituantur madore, tum, accedente ſimul acrimonia ſanguinis, exſiccentur corrugentur ac imminuantur. IV. Quando ſuccus nutricius partibus deſtinatus aliorſum abripitur, amandatur & abſumitur, id quod haud rarò in nimio menſium fluxu, ſudationibus ac purgationibus nimiis, coitu ſæpe ſæpius repetito &c. accidere ſolet, quales evacuationes nimias extenuationem ac maciem contabeſcentiamque ſequi, experientia docuit. V. Quando ſuccus nutricius ab △e noſtro vitali heluone voraciſſimo, uti *à Charleton. in Oecon. animali* appellatur, omnis abſumitur. VI. Quando Chylus propter aſſociatas aut ex ſanguine, aut viſceribus, particulas acres, purulentas, acidas, viſcoſas &c. adulteratur, & aſſimilationi ineptus redditur. VII. Quando Spirituum animalium influxus, ad chyli aſſimilationem tanquam certum fermentum concurrens, denegatur, aut prava diatheſi præditus eſt. VIII. Quando partes ob vitioſam dipoſitionem chylum ſuſcipere nequeunt, aut ſuſceptum mox amittunt, propter vermiculos abſumentes, aut colliquationem &c.

Th. IX.

Cauſæ ergo antecedentis in noſtro affeƈtu rationem habent ea omnia, quæ chyli laudabilis vel elaborationem, vel diſtributionem, vel aſſimilationem impediunt,

remo-

remorantur ac tollunt, sive partes, strictè ita dictæ, fuerint solidæ, sive fluidæ, uti humores & spiritus.

TH. X.

Cum his verò concurrunt in producendâ atrophiâ causæ aliæ tum naturales, tum nonnaturales communiter procatarcticæ dictæ, tum præternaturales.

TH. XI.

Inter Naturales Temperamentum hîc accusandum venit calidum & siccum; hoc enim, teste *Galeno de diff. febb. cap. 9.* plus ad tabem ac atrophiam inclinat, quàm frigidum & humidum. Ratione sexus verò & ætatis rarò observatur discrimen, quum tam mares quam fœminæ, infantes, juvenes, & senes hoc affectu corripi videamus. Dantur tamen ejusdem certæ species; atrophia enim alia pueris communis est, quam à solis vermibus provenire sibi vulgus persvadet, alia senibus marasmo obnoxiis, familiaris habetur. Interea hæreditaria dispositio huc etiam multum facit, quatenus infantes succo nutricio matris vitiato, scorbutico, acri, & impuriori enutriti, similem suo sanguini & humoribus circulantibus labem contrahunt.

TH. XII.

Inter causas procatarcticas nonnaturales maximum conferre symbolum solet aër siccus nimis atq; æstivus. Hic enim sulphureas, promtiusque inflammabiles sanguinis particulas, citò nimis, quàmq; par est, copiosiùs inflammat, accenditque: eoq; nomine sanguinem primo ipsum, denique universum corpus calefacit, dissolvit, liquat, attenuat, hujusq; substantiam (absumto dissipatoque, quo singulæ partes continuo instaurari ac refici desiderant, nectare nutricio) sensim exhaurit, & si diutiùs

 per-

perseveraverit, senium mortemq; præpropere accersit, uti egregiè declarat *Charleton. Exercit. Pathologic. V.*

Th. XIII.

Porrò cibi & potus peccantes affectui huic nostro ansam præbere possunt; qualis enim cibus, talis chylus, qualis chylus, talis sanguis, qualis sanguis, talis vitalitas, loquor verbis *VIRI Nobiliss. Ampliss. Experientiss. atq; Excellentissimi* DN. MAURIC. HOFFMANNI, *Senioris, Med. D. & in inclutâ hac Universitate Altdorff. Profess. Primar. Sereniss. ac Potentiss. Elect. & Marchionum Brandenb. Archiatri celeberrimi, DN. Patroni, Præceptoris, studiorumq; meorum Promotoris ætatem devenerandi.* Peccare autem hic possunt cibi quantitate, qualitate, & tempore. Quantitate, & quidem vel nimiâ; unde fermentum ventriculi in opere chyloseos deficere necessum est, & cùm assumta non exactè fermentando resolvantur atque attenuentur, succus nutricius crudus gignitur, adeò, ut ad partes nutriendas delatus, non illis assimiletur, sed ceu ingratus & noxius rejiciatur; vel deficiente, quam ob nutrimento defraudatæ partes contabescunt, & denegato pabulo à calore nostro colliquantur. Qualitate, quando e. g. sale multò sunt conditi; notum enim est, sal commune immodicè assumtum acriomonia sua omnem absumere pinguedinem, corporisq; crassitiem solvere, ac magnam seri partem per diuresin educere, ut tandem macilentia, ipsaque atrophia succedat. Vinum præterea similesq; potus calefacientes, ut & aromata aliaq; sulphurea largiùs assumta, dum calorem accendunt, ut ille plus humidi absumat, macilentiam quoque introducere possunt. Tempore, quando consvetum non observatur, vel non expectatâ concoctione absolutâ cibi intruduntur ventriculo; hinc *Hippocrates de victu acutorum*

XV. 3. His, quibus in die cibum sumunt, ait, *& his, qui semel, repentinæ mutationes noxas ac ægritudines inducunt.* Et *Avicenna Lib. I. Fen. 3. doct. 2. cap. 7. Nihil est*, inquit, *in corpore deterius, quàm nutriens super nutriens, quod non est digestum, mittere.*

Th. XIV.

Adhæc in censu rerum non-naturalium ad atrophiam corpus deducere valet motus nimius & vehementior, qui, præterquam quòd spiritus dissipet, balsamicam musculorum ligamentorum ac articulorum humiditatem absumendo exsiccat, membrorumque robur exhaurit. Cum quo paria faciunt vigiliæ nimiæ, quæ acrimoniam sanguini & succo nutricio inducunt, sicque alimentorum coctionem, & assimilationem impediunt, & palam est, quod

Attenuent juvenum vigilatæ corpora noctes.

Th. XV.

Inter animi pathemata mœror ac tristitia assidua atrophiæ januam pandit, dum acidum p. n. in sanguine & humoribus uberius provenire facit, quod succum alimentarem & corrumpit & depascitur; hinc *Proverbior. cap. XVII. v. 22.* Animus gaudens ætatem floridam facere, spiritus autem tristis exsiccare ossa dicitur.

Th. XVI.

Excretorum tandem immodicas & repentinas evacuationes, jamdum supra innuimus, in affectus nostri productione morbificum conferre symbolum, quemadmodum easdem in universum malas *Hippocrates Sect. 1. Aph. 3.* pronunciavit.

Th. XVII.

Ex præter naturalibus causis omnes hîc concurrunt illi affectus, in quibus chyli distributio & assimilatio impedi-

peditur, aut chylus pervertitur aut absumitur, item ubi M. S. nimis solvitur, aut insignis chyli, seri & spirituum copia absumitur, id quod e. g. in febribus, cujuscunq; fere sint generis, accidere solet; per excitatam enim in his præternaturalem sanguinis fermentationem, plus de mole corporis absumitur, quam reponitur, unde habitus concidentia præsto est. Idem detrimentum scorbuto supervenire *Cl. Charleton. in lib. sing. de Scorbuto, p. m. 249.* scribit, has addens rationes: quoniam succus nutricius, ita in itinere suo, per viarum, quas libere debuit pertransire, obstructiones, intercipiatur, ut nutriendis partibus non possit accedere; vel quod idem, etiamsi itineris metam assequatur, conceptæ tamen salsedinis aut aciditatis eximiæ ratione, adeò vitiosus existat, ut partibus neutiquam inserviat reficiendis. In infantibus plerumque à comedonibus, crinonibus sive dracunculis, quos Germ. die Mitt-Esser vocant, atrophia oboritur; quorum causa est impedita transpiratio, & inde foeta seri stagnatio & corruptio; hinc quoque nutritio deperditur, & infantes instar ligni marcescunt. Dein vulnera sæpè inferunt atrophiam, uti de membris post vulnus tabescentibus testatur *Montanus Cons. 384. f. 975.* Similiter nervi puncturæ brachii atrophiam supervenisse *Charleton. Oecon. animal. X. §. 3.* testatur. Aliquando etiam macilentia aliqua in sanis se offert, ut in illis, qui victu necessariò destituti, vel laboribus & curis attriti, plus minusve consumuntur, vel ob senium decrepiti præsertim facti, macilenti, vel etiam sicci & aridi omninò fiunt.

TH. XIIX.

Ex quibus patet, varias Atrophiæ, ratione causarum, & subjecti, esse differentias; quibus plures adjicere facilè licebit. Nempe enim Atrophia alia sola, alia aliis

stipa-

ſtipata morbis irrepit, quemadmodum e.g. frequenter cum hydrope conjuncta eſſe ſolet, ubi venter & pedes quidem intumeſcunt, reliquæ tamen ſuperiores corporis partes extenuantur, nonnunquam & penitùs contabeſcunt, corpusque exparte ſupra modum tumidum & exparte conſumtum evadens miſerrimum aſpectum præbet. Neque ſilentio hic prætereunda erit atrophia ſive macies à faſcino Germ. Wenn die Kinder beſchrien werden; quam ſicuti in Diſput. Inaugurali *Jenæ Anno 1667.* habita eruditè declaravit *Excell. Ehrenfrid. Hagendornius*; ita nemo facilè in dubium vocabit, qui morborum à faſcino certitudinem Autoribus, *à Timæo in Lib. VII. Caſuum Medicinalium caſ. XXIV. p. 322.* allegatis, confirmantibus fidem habuerit.

Th. XIX.

Perſpectis cauſis atque differentiis ad ſigna hujus affectus progredimur, & quidem diagnoſtica. Confirmata ergò partium totius corporis atrophia non ſolùm ex facie illa cadaveroſâ, quam *Hippocrates Lib. I. prognoſt. 3.* deſcribit, ac ideò Hippocratica audit, ſatis patet, ubi nimirum nares acutæ, oculi concavi, tempora collapſa, auriculæ frigidæ & contractæ, aurium lobi inverſi, cutis circa frontem dura & arida, color totius faciei pallidus aut niger, aut lividus, aut plumbeus; ſed præterea etiam ex ſummâ totius corporis extenuatione præſens eſſe cognoſcitur. Præterea à labiis aridis dentes denudati relinquuntur, niſi in viris barba profuſa eosdem obtegat & occultet: In thorace coſtæ omnes fiunt prominulæ, ut cartilago xiphoides nonnunquam curvata cernatur: Scapulæ etiam alarum inſtar, & claviculæ veluti arcus, ſub quo profunda fovea, procul à thorace ſeſe exſerunt. In dorſo vertebræ ſpinæq; admodum patent. Venter

verò collapsus & velut inanis , nisi hydrops superveniens eum in tumorem attollat, se offert. Collum attenuatum cernitur , & proin longius, admodumque inæquale , dum cartilago laryngis scutiformis , pomi Adami ludibrio infamata, insigniter protuberat. Clunes pendulæ & amissæ, coxæ nudæ, coccyx caudæ instar exertus, crura, brachia, manus, pedes, ipsorum digiti, macra & veluti arida existunt ; circa articulorum verò regionem, amisså vicinâ carne,magis adhuc protuberare videntur. Ungues item longiores sunt, & in summa corporis attenuatione interdum curvantur. Pili quoq; radicibus exsiccatis in consummatâ atrophiâ nonnunquam excidunt. Cutis flaccida , corrugata , fusca, aridaque existit, sub qua venæ latentes pene universo ambitu fiunt conspicuæ, lividæq; toto ductu apparent. Urina etiam rubicunda & oleosa conspectui offertur,pinguedine instar aranearum telæ supra innatante , unà cum sedimento fæculento, ceu *Platerus in praxi sua Medica* perspicue satis docet.

Th. *XX*.

Intereà cùm Atrophia à diversis producatur causis, ad signa harum diagnostica pariter respiciendum erit Medico: quot enim sunt causæ, tot ferè observare licet signa. Si itaq; obstructiones in venarum lactearum anfractibus hæreant , chylum ad corpus distribuendum intercipientes, alvus utplurimum justo fluidior, & dejectiones chylosæ albicantes conspicientur. Si eædem penitiora Mesenterii & glandulas præsertim succi alibilis depurationi comparatas insederint, tunc duri, magniq;, & (malo in deterius jam dum ruente) scirrhosi tumores in Mesenterio excitantur, manifesti locorum præcipue affectorum indices. Si sanguis acidus nutrimentum de-

pravatum effecerit, id cognoſcitur ex nimia ſudatione, tuſſi, ſitiq; ingenti. Quod ſi verò ſanguis nimis ſulphureus omne corporis etiam futurum devoraverit pabulum, hoc ex calore atque totius corporis ſiccitate patet. Phthiſin, febrem hecticam, ſcorbutum, vel maraſmum ſenilem, ſigna propria, à Practicis paſſim propoſita, indicant. In pueris tandem dracunculos ſeu comedones adeſſe, manifeſtant præter viſum inquietudines ac ejulationes.

Th. XXI.

Sequuntur ſigna Prognoſtica, morbi eventum, modum & tempus eventus manifeſtantia. Quod primi generis concernit ſigna prognoſtica, dicimus, mali hujus eventum valdè eſſe dubium; ita, ut niſi citò remediis obviam eidem eatur, omninò pro lethali habendum ſit; licet aliàs pro diverſitate ſubjecti vel cauſarum, aliud curabile, aliud incurabile eſſe cenſeatur.

Th. XXII.

Ratione quidem ſubjecti, infantes, cùm habeant corpus & viſcera teneriora, inde etiam debiliora, tabifico huic morbo minùs reſiſtere valent, & majori cum periculo extenuantur, quàm illi, quibus fortiores ſunt ſpiritus & robuſtiora cum corpore viſcera. Ita in ſenibus propter deficientem caloris vitalis activitatem planè non vel difficulter atrophia ſanari poteſt, cùm pueris, juvenibus & in ἀκμῇ conſtitutis major ſalutis ſpes affulgeat. Facies Hippocratica ſi in quibus adfuerit, doctâ plus valet arte malum. Ratione cauſarum verò pulmones exulcerati & corrupti non facilè ſanantur, partim ob ſubſtantiæ teneritatem, partim ob continuum motum, omnem conſolidationem impedientem.

Th. XXIII.

Th. XXIII.

Modum eventus quod concernit, notandum, quòd si ἀνορεξία superveniat atrophiæ, pro malo haberi signo, præsertim ubi hypochondria elevantur; pro pessimo autem, si ventriculi ἀπεψία concurrerit. Dein pulsus debilis, & respiratio cum tussi vehementi ac inani, vitam periclitari testantur. Quod si verò ægri rursus ad pristinam integritatem redeant, fit aliquando, ut macilenti & flaccidi toto vitæ tempore permaneant, jamque senes, etsi ætatem illorum nondum attigerint, esse videantur.

Th. XXIV.

Quoad tempus eventus, cum atrophia morbus sit utplurimum chronicus, non potest non paulatinum vel lentum sortiri eventum, nisi vel alius superveniens morbus, vel graviora concurrentia symptomata, vel extremum senium, aut vires jamdum penitùs in morbido corpore prostratæ & attritæ, fatum repente accelerent.

Th. XXV.

Atque nunc perspectis hactenus propositi affectus nostri naturâ, traditisq; signis, proximum est, ut Curationem ipsam aggrediamur, certis ex methodo medendi petitis indicationibus superstructam, quarum tres præcipuas constituimus: I. Ut causæ futuræ procatarcticæ, assimilationem chyli in corpore impediturae vel sublaturæ, corrigantur & removeantur. II. Causa antecedens inhibeatur, & demum utrisq; sublatis III. Causa proxima tollatur, chyliq; assimilatio in partibus corporis restauretur.

Th. XXVI.

Tribus autem hisce Indicationibus variorum remediorum præscribendorum usu satisfiet, quæ ex triplici

dicto fonte Diætetico, Pharmaçevtico & Chirurgico petenda erunt.

Th. XXVII.

Et ex Chirurgico quidem fonte, ut κατ' ὕστερον πρότερον progrediamur, V.S. nobis occurrit, omnino maturè celebranda, si Medico certè constiterit, sanguinem abundare, acrimoniaque sua ac fervore, per particulas sulphureas nimis arcte agglomeratas inducto, corporis nutritionem destruere. Cujus rei exemplum *Hippocrates Lib. 5. epid. c. 6.* profert, atque virum quendam ex sanguinis copia emaciatum, omnibus aliis remediis incassum tentatis, solâ secta vena in utraq; manu, sanguineq; extracto, quousq; exsanguis fere redderetur, perfectè restitutum esse asserit. Nec assueta aliàs intermittatur scarificatio; & si familiaris fuerit hæmorrhoidum fluxus, per hirudines admotas, interceptus revocetur.

Th. XXIIX.

Ex Pharmacevtico fonte peti possunt ea, quæ materiam morbosam è corpore evacuant, ventriculumq; ac intestina à vitiosorum humorum saburra liberare possunt, quæ inter primo loco se sistunt vomitoria, nisi viscera ea ferre propter infirmitatem, aliorumque symptomatum graviorum metum, recusent. Si autem quæ locum habent, possunt esse sequentia: Tartarus Emet. ▽ bened. Ruland. Oxysacch. emet. ⊖ ⊕li &c. Posthæc in usum quoq; erunt vocanda purgantia, primas vias blande evacuantia, fortiora enim nocent, dum nimis exsiccant, urunt, h.e., operantur per immoderatam præternaturalem nimiam colliquativam fermentationem, quæ ad dissolutionem fusionem & putredinem ducit ac disponit, sicut ἀκριβῶς declarat *VIR Nobiliss. Ampliss. Excellentiss. ac Experientissimus* DN. JACOBUS

 PAN-

PANCRATIUS BRUNO, *Phil. ac Med. D. hujusq; Prof. P. longè celeberrimus, Patronus ac Præceptor omni animi cultu devenerandus, de Remoris ac Impedimentis Purgationis pag. 18. Formulæ tales esse poterint:*

℞. *Fol. Senn. el. s. s.* ℥ß.
Zingib. ℈j.
Tart. commun.
Sem. anis. āā. ʒß.

Incis. & contus. infunde per noct. ad fictil. in s. q. ▽. cichor. & tarax. dein post unicam ebullitionem in vase clauso fortiter exprime,

Colat. ℞. ℥iiij.
Add. Syr. de cichor. cum Rhabarb. ℥ß.
▽. *cinamom.* ʒij.
M. dr. ad vitr. Sgr.
Purgier-Träncklein.

Vel ℞. ▽. *cichor.*
cuscut. ℥iß.
Syr. Ros. solutiv. de Ambubeja ℥j.
Crem. tartari alcohol. ℈j.
Mag. gialapp. gr. iij.
Tartar. ⊕lat. gr. iiij.
Trochisc. Alhandal. gr. j.
Elæosacch. cinamom. ℈j.
Mr. dr. ad vitr. Sgr. ut ante

TH. XXIX.

Quod si autem appetitus prorsus dejectus sit, adeò ut vix aliquid vel parcissime saltem atrophiâ laborantes assumant, concurrente extrema virium prostratione, injectionem clysmatum sic dictorum nutrientium, ex lacte, jure caponum, vitell. ovor. aliisq; concinnandorum, (qualia

etiam describit *Fr. Decker. in Exercit. Medicis Practicis circa Medendi methodum cap. VI. p.390. & 391.*) commendant Medici, quæ ipsa tamen utrum nutritionem per se, verè talem & sensibilem, præstare possint, anceps hæreo.

TH. XXX.

Impuritatibus ita primarum viarum ablatis, feliciorem medicamentorum reliquorum operationem expectare licebit; hæc verò porrò ad causarum morbificarum futurarum & præsentium correctionem & expugnationem dirigenda erunt. Quapropter ad præcavendam ulteriorem succi nutricii à balsamica sua indole in dyscrasian acrem, vel lixivialem, vel acidam, vel salsam, vel salso-muriaticam degenerationem, apprimè convenient alterantia, acrimoniæ cuicunq; contraria, humectantia, dulcificantia, lympham succumq; nutricium laudabilem conciliantia: E. g. poterit seq. præscribi Apozema:

℞. *Hordei mundi,*
Rad. cichor.
graminis, ãã. ℥j.
Herb. lactuc.
portulac.
endiv. ãã. Mj.
Passul. corinthiac. ℥iß.
Sem. 4. frigid. major. ãã. ʒß.
Incis. & contus. coq. in s. q. Aq. fontan.
Colat. ℞. ℔iß.
Add. Syr. violac. ℥j.
de alth. Fernel. ℥ß.
Mr. dr. ad fictil. Sgr.
Alterir-Tranck auf etliche mahl.

Vel propinentur ægro Emulsiones ex hordeo, amygdal. dulcibus, sem. 4. frigid. majoribus, sem. pap. alb. &c.

ante

ante ingressum in lectum sumendæ, lacteum chylo analogum succum sanguini administrantes, mihi insigniter commendatæ à *Nobilissimo, Excellentissimo, ac Experientissimo* DN. JOH. MAURICIO HOFFMANNO, *Phil. & Med. D. Anat. & Chem. Prof. Publ. celebratissimo, S. R. I. Academico Curioso, Facultatis Medicæ h. t. Decano spectatissimo, Domino Promotore, Patrono ac Præceptore meo æternum colendo*, cùm privata ejusdem fidelissimaq; informatione, & ad Praxin manuductione uterer; Formulæ loco sequentem proponere lubet:

℞. *Amygdal. dulc. rec. decortic.*
Hordei mundi ad crepatur. coct. āā. ℥ß.
Sem. 4. frigid. major. āā. ʒß.
pap. alb. ʒij.
Cum s. q. Aq. hordei vel Cichor. vel Endiv.
F. l. a. Emuls. ad ℥viij.
Add. Aq. Rosar. alb. ℥j.
cinam. fl. cordial.
Julep. violac. āā. ℥ß.
Ocul. ♋. *ppt.* ℈j.
Antihect. Poter. ℈ß.
Solut. margar. sicc. gr. vj.
Ms. dr. ad usum.

TH. XXXI.

Nec minus præsenti scopo inservient absorbentia alcalina, uti modo propositi ocul. ♋. antihect. Poterii, conchæ, corallia, ♁ diaphoreticum, quibus ad imitationem pulveris absorbentis *Excellentiss. D. D. Wedelii in Opiologia p. 114.* descripti, opium associare juvabit.

TH. XXXII.

Lac caprillum insuper è re esse poterit, vel asininum, vel vaccinum, aqua hordeata dilutum, poteruntq; talia

anima-

animalia, si dispositio scorbutica simul adfuerit, plantis antiscorbuticis enutriri; similiter multum proderunt, ex consilio Cl. Charletoni in lib. de Scorbuto, juscula instaurantia ex cochlearum, limacum, testudinum, cancrorum, astacorumve fluviatilium carnibus, in aqua hordeata, donec ferè liquescant in gelatinam, decoctis, per setaceum transmissis, cumq; amygdalis dulcibus, pineis, sem. frigid. majoribus & saccharo albo cando, vel perlato conditis confecta, & aquis antiscorbuticis temperatioribus parum diluta.

Th. XXXIII.

Quod si propter chyli cruditatem & lentorem, obstructosq; chyli meatus atrophia suborta fuerit, fermentum ventriculi restaurandum erit, usu acidorum blandorum, uti ♈ ⊖ dulc. Elix. Vitrioli Mynsicht. Elix. propr. acidulat., vel aromaticorum temperatorum, uti Pulv. stomachic. Birckmann. August. cum Trag. aromatic. usitat. & acido Tartar. rubro; dein obstructiones reserandæ venient usu aperitivorum, quæ inter optima mihi h. l. videtur Tinct. Vitrioli ♂ Zwelferi, ventriculo alias haud ingrata.

Th. XXXIV.

Porrò noxam, quam evacuationes nimiæ per alvum, menses, sudorem, congressum &c. factæ, dederunt, juscula restaurantia & medicamenta cardiaca fixa emendabunt, atque ulteriorem præcavebunt.

Th. XXXV.

Ignis vero vitalis voracitas cohibebitur, tum per humectantia in Th. XXX. ante laudata, tùm per lactea, aut nitrosa refrigerantia, tum per alcalina fixa cumprimis saturnina, quò famosum antihecticum Poterii referendum est, ac deniq; per subacida, sulphur sanguinis ferociens ligantia.

 Th. XXXVI.

Th. XXXVI.

Quod si atrophia ex ulcere pulmonum enata fuerit, decocta præscribi debent ex detergentibus atque consolidantibus; quorum catalogus *vid. in Macasii Promtuario Materiæ Medicæ p. m. 698.*

Th. XXXVII.

In aridurâ, ♌uum animalium interceptum influxum vel appropriationem denegatam, insequente, præter medicamenta nervina ♌uosa volatilia intus usurpanda, externè frictiones asperæ adhibendæ erunt, una cum Topicis, *in Thesi seq. XL.* descriptis.

Th. XXXIIX.

Ceterum exterminium & internecionem vermium respiciunt, ac simul mineram eorundem resolvunt & destruunt omnia putredini resistentia, amara & alcalina exsiccantia, ut C. C. ustum. flor. sulphur. Zedoar. elix. prop. Ol. colocynthid. Camphor. ♌ C. C. essentific. ▽ tanacet. hyperic. Syr. de cichor. cum rhabarb. theriaca &c. Conducunt quoque omnia alexipharmaca, & activa alia ⊖na sulphurea, balsamica camphorata. Porrò quoq; omnia purgantia, imprimis cholagoga amara simul & acria, quæ interimunt animantium seminium & exturbant, vel vitæ eorundem sunt contraria; deniq; & mercurialia, pituitam & mucosam vermium hypostasin liquantia, maxime prosunt.

Th. XXXIX.

Ad Crinones seu Comedones expellendos & enecandos faciunt ea omnia, quæ habet Cl. *Etmüllerus in valetudinario suo infantili,* ubi post tinct. ♄ii balnei usum præservativè pariter ac curativè laudat; & balneum quidem ex aqua dulci parare jubet, cui parum mellis addatur; sic namque facilè vermiculi dulcedine allecti per poros cutis

tis capitibus suis prominent, qui deinde vel unguibus, vel cultro, vel novaculâ extrahi ac resecari queunt.

TH. XL.

Nec topica tandem medicamenta hîc sunt omittenda, hæc quippe dum obstructos poros reserant, M.S. humectando ac edulcorando egregiè possunt corrigere; qualia sunt fotus & balnea ex herb. malv. alth. violar. fol. lactuc. tiliæ, gramin. virid. flor. rosar. nymph. &c. Magni momenti sunt itidem unguenta & linimenta in progressu morbi adhibita cum oleosis, aliisque penetrantibus permista; uti sunt Ol. petrol. laurin. nymph. rosar. violar. pingued. human. tax. medull. crur. vitul. &c. E. g.

℞. *Pingued. taxi,*
humanæ. ãã. ℥ij.
Ol. laurin.
Juniper. ãã. ℥j.
Medull. crur. vitul. ʒiij.
His ad △. liquefactis
Adde Pulv. sem. urtic.
sabin.
O. plum. ãã. ʒij.
Mr. dr. Sgr.
Salben/ wohl einzureiben.

Inter Emplastra laudem merentur ea, quæ ex speciebus fragrantibus & cephalicis parata gestantur, ut empl. de betonic. Bals. apoplect. Unguent. alabastr. &c.

TH. XLI.

Reliquum est, ut ex fonte diætetico victus & vivendi regimen brevissimis monstremus: 1. Aër purus sit atq; temperatus, non putridus, nec nimis calidus & siccus, sed ad humiditatem magis inclinet. 2. Cibi præbeantur

tur facilis concoctionis & bonæ digestionis; fugiantur contra saliti, viscosi, & qui obstructionibus ansam dare queunt; commendatur hinc caro vitulina, capreolorum, gallinarum, perdicum, caponum, indeq; parata juscula. 3. Potus emaciatos cùm apprime reficiat, cerevisiæ pingues ac temperatæ, magisq; refrigerantes exhiberi, aut loco horum decoct. hord. cum C. C. & Rad. Scorzon., aut Apozema suprà descriptum substitui poterint. A vino verò acido & austero abstineat æger, quòd si tamen vino assvetus fuerit, illud sit generosum, modiceq; assumatur; ventriculum enim roborat ac ♌us corporis auget. 4. Somnus & vigiliæ medium teneant, nec curis & meditationibus assiduis ♌us animales dissipentur & nimis absumantur; humores verò è contra vitiosi in corpore generentur. 5. Motus & quies quoq; moderate sese habeant, ne humores in corpore nimium agitentur. 6. Excreta & retenta intra naturæ limites detineantur. Alvus interea semper aperta servetur, si reluctetur, lenientibus officii sui admoneatur. 7. Animi pathemata sanguinem fundentia & agitantia aut acriorem efficientia, uti ira, mœror assiduus &c. angue pejus & cane vitentur.

S. S. TRIADI SIT GLORIA IN ÆTERNUM.

